
34. 2. F. 3
4
84

# Cebetis Theba-
## NI SOCRATICI PHILO

ſophi tabula, quæ humanæ vitæ imaginem repręſentat, in Latinam linguam conuerſa, per Theodoricũ Adamæum Suallembergum.

*Aurea carmina Pythagoræ.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
*Apud Martinum Iuuenem, ſub inſigni D. Chriſtophori, è regione gymnaſii Cameracenſium.*
1550.

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO *D. Iacobo Spiſamio, Academiæ Pariſienſis Cancellario, & ad Diui Pauli fanum in Senonenſi agro abbati, Regioq; Conſiliario, Domino & patrono ſuo longe colendiſſimo, Theodoricus Adamæus Suallembergus,* S. P. D.

P*Raeclarè mihi Stoicæ ſectæ philoſophi ſenſiſſe videtur, vir ornatiſſime, qui Dei munus eſſe, quòd viueremus: & philoſophiæ, quòd rectè vitam inſtitueremus, aſſerebant. Cuius tanta fuit apud veteres authoritas & dignitas, ut illam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, animíque medicinam vocare, omniúmque aliarum artium & ſcientiarum principem conſtituere, non dubitarent. In huius philoſophiæ æmulationem præter alia nos excitat animus noſter ex mente diuina (vt ille inquit) decerptus, & admirabili rationis munere illuſtratus, ut inter eius præſidia tutus & ſecurus conquieſcere queat: neque rebus afflictis perturbetur neque ſecundis efferatur: ſed vitam beatam à fortunata & felicitatem veram, ab imaginaria, internoſcat: & ſe quantum poßit, à corporis obſequio, & huius mundi illecebris auocet, ut perfectam & abſolutam rationem nactus, quam virtutem appellamus, ad eius nutum & arbitrium ſe totum fingere poßit. Quod cùm Socrates ille Apollinis oraculo ſolus ſapiens iudicatus, fieri non poſſe animaduerteret, dum omne ſtudium & operam in naturalium rerum perueſtigatione poneret, ob id, cæteris abiectis, omnem philoſophiam reuocauit ad mores, eámque ſolam eſt amplexus, cuius ſummam eſſe dixit, bona & mala in hac uita poſſe diſtinguere. Quod diſcrimen cùm animi contemplatione aſſequi rudibus id ætatis hominibus laborioſum eſſe, Cebes philoſophus Socratis diſcipulus perpenderet (qui cum Simmia Thebano ſupremo vitæ die, Cygneæ cantioni Socratis de animæ immortalitate interfuerat) virtutes & uitia hac luculenta tabula expreßit, in qua tanquam ſpeculo humanæ vitæ relucet effigies, vt in virtutum & vitiorum perſonis, noſtros mores effictos videremus, & vitæ quotidianæ expreſſa ob oculos verſaretur imago, quæ nil aliud Socratis ſententia, quàm peregrinatio quædam eſſe appareat. In qua cùm rerum vices ſint admodùm mutabiles, eius conditionem, primum & vltimum diem continere Philoſophi dicebant, quem*

 ut bea-

*vt beatum hoc excurſo ſpatio conſequi poßimus, omnibus natura & induſtriæ neruis nobis eſt connitendum. In hanc curam & cogitationem tu gnauiter incumbis, vir ornatißime, & hãc dignitatem tuam in ſola virtutis indagatione poſitam eſſe exiſtimas, vt nulla ambitio, nulla cupiditas, nulla denique uoluptas te ab inſtituto curſu reuocare queat.* Hunc animum tam bene à naturali ratione informatum perpetua conſtantia & rerum vſu corroboraſti, adeò vt iam exſplendeſcas magnis ingenii, conſilii, & gratiæ facultatibus. Qua de cauſa huic generoſæ Spifamiorum familiæ tuis ornamentis non exiguus ſplendor acceßit: quæ cùm in hac urbe ſemper floruerit, malcuolorum hominum perfi lia non tam inclinata quàm illuſtrata perpetuò fuit. Adeò difficile eſt albicantis aquilæ in ſublimæ volantis aciem perſtringere, quæ omnia illa calumniarum terriculamenta & fulmina generoſo & imperterrito animo deſpicit. Tu igitur vir ornatißime, præ cæteris mihi dignus es viſus, in cuius humanitate & tutela hanc qualemcunque ingenioli noſtri fœturam reponerem, vt Zoili obtrectationis virus diffundere ceſſarent, & imbecilior ætas hæc lubenti legeret, quæ cum Hercle iam in biuio uacillat, vtram viuendi uiam ſit ingreſſura, cùm altera delitiarum, altera laboris eſſe plena appareat, Quapropter adoleſcentes, omnes ſenſus, totámque mẽtem ad hanc vitæ communis effigiem conuertere uelint, vt in ſuæ vitæ exemplum traducere poßint. Vale patrone optime, Pariſiis ex collegio Cameracenſi, Pridie Nonas Martii. Anno M. D. XXXIX.

# CEBETIS THEBANI TABULA, Theodorico Adamæo Suallembergo interprete.

*DEambulabamus fortè in æde Saturno ſacra, ubi cùm ſpectaremus pleraque alia donaria, tum & tabula in templi ueſtibulo erat poſita, picturam peregrinam, & fabulas non uulgares continens: eaſdē quænam eſſent, & quo tempore extitiſſent, coniecturā conſequi minimè potuimus. Neque enim ciuitatis, neq; caſtrorū imaginē repræſentabat id, quod hac tabella expreſſum fuit, ſed ambitus erat in ipſa, qui alios duos ambitus cōplectebatur, hunc quidem maiorē, alterum uerò minorē. Erat prætereà & porta in primo ambitu, ad quā plurima turba uidebatur conſiſtere, in penitiore uerò ambitu, mulierū multitudo ſpectabatur. Sed ubi ingreſſus patebat in primum ueſtibulum & ſeptum, ſenex quidā inſiſtens, ex factis indiciis ingredienti turbæ quædam imperare uidebatur. At nobis mutuò de huius fabulæ ratione multo tempore addubitātibus, quidā natu grandior propè adſtitit, inquiēs: Nequaquam abſurdè facitis, ô hoſpites, qui de hac pictura ambigitis. Nā indigenarum permulti ſunt, qui huius fabulæ exactā uim & rationē non norūt. Neque enim huius ciuitatis induſtria, mun⁹ hoc eſt elaboratū, ſed peregrinus quidam huc olim profectus eſt, uir multarū rerum cognitione, & ſapientia præcellens, Pythagoricæ & Parmenidis uitæ, ſermone & re ipſa æmulus, qui hoc ſacellū cum pictura Saturno conſecrauit. Habuiſtíne, dixi ego, hu-*

*ius uiri aliquãdo de facie notitiã? Verùm admiratus ſum, inquit, multo tempore, quòd iuuenili etiã tum ætate exiſtens, multa tamẽ de rebus grauiſſimis ſtudioſe diſſereret, eundémq; de huius fabulæ myſterio ſermonẽ habentẽ frequẽter audiui. Per Iouem, inquit, huius rei te nobis interpretem præbe, ſi tibi nulla incũbunt ſeria negotia: deſideriũ enim nos nõ mediocriter ſolicitat audire, quid hæc ſignificet fabula. Id uobis exponere minimè grauabimur, ô hoſpites, inquit. Atqui hoc uos pri⁹ audire oportet, in hac narratione periculum non mediocre eſſe ſitũ. Qualénam inquã? Quòd ſi animum, inquit, adhibueritis huic narrationi, & ea quæ dicũtur intellexeritis, prudẽtia & felicitas uos per omnẽ uitã conſequetur. ſi minus id cõtigerit, imprudẽtes & miſeri, triſtes, rerúmque omniũ rudes effecti, infeliciter hanc uitam traducetis. Eſt enim hæc expoſitio perquàm ſimilis Sphingis ænigmati, quod illa hominibus proponebat, id qui intelligebat, incolumis euaſit: qui non intellectu conſequebatur, extrema à Sphinge patiebatur. Pari modo & præſens ſeſe habet interpretatio. Nam imprudẽtia hominibus Sphinx eſt, quæ ænigmate quodam hæc innuit, quid bonũ, quid malum, & quid neque bonũ, neque malũ, in uniuerſa uita fuerit: hoc niſi quis mẽte perceperit, ab ipſa imprudẽtia ad perniciem rapitur, non ſemel & penitus, quemadmodũ is, qui à Sphinge depaſtus, moriebatur: ſed paulatim toto uitæ tempore ad exitium uergit, eorũ more, qui cruciatibus deduntur. Si uerò quiſpiam cognouerit, è diuerſo perit imprudẽtia, & ipſe beatus felicitatis per omnem uitam eſt particeps. Quare animum adhortite, & huic narratiõi attẽtas aures præbete. Dij boni quàm magnã nobis cupiditatẽ inieciſti, ſi hæc fuerint*

*rint eiuſmodi. Ita enim ſe habent, inquit. Non effugies igitur quin protinus, nobis non ſegniter auſcultantibus, hanc fabulam enarraris, quandoquidem talis ſit multa ſtatuta. Quare uirgã arreptam ad picturã extendit. Videtíſne, inquit, ambitũ hunc? Videmus. Hoc uos in primis ſcire oportet, hunc locum uitam uocari, & turbam illam copioſam portæ imminentẽ, hos eſſe, qui uitã ſunt ingreſſuri. Senex uerò ille, qui ſupernè conſiſtit, chartulam quandam manu tenens, & altera neſcio quid oſtendẽs, hic Genius uocatur, qui omnibus ad hanc uitam properãtibus præſcribit, quid eos agere oporteat ut uitã ingrediantur: & demonſtrat, quã uiuendi uiam omnibus ingredi neceſſe fuerit: ſi modò proſperitatẽ & ſalutẽ in hac uita conſequi uelint. Qua igitur uia eos incedere iubet, aut quónã, inquã, modo? Vidéſne ſoliũ collocatũ eſſe ad portã eo loco per quem turba illa uitã ingreditur, cui inſidet mulier, habitu aſsimulatos mores præ ſe ferens, ut ad omnia perſuadẽda uideatur eſſe accõmoda, manu uerò poculum tenet? Video. Sed hæc quænam eſt, inquam? Huic nomen Fallacia eſt, quæ uniuerſum genus humanum in errorem inducit. Sed hæc quid deinde molitur? Omnes iter intẽdentes in uitã, hanc potionẽ haurire pro uiribus inducit. uerùm potus hic qualiſnam eſt? Error, inquit, & Ignoratio. Quid tum poſtea? hac potione hauſta, uitã ingrediũtur. Omnéſne ex hoc poculo errorẽ bibunt? Bibunt quidem omnes, inquit, ſed alij multò largius aliis. Videſne præterea intra portam multitudinem quandam uulgato corpore mulierum, quæ uultus habitu, corporíſque cultu uario, ſunt conſpicuæ? Hæ Opiniones, Concupiſcentiæ, Voluptates nuncupantur. Etſi quando turba ingreditur, ad hanc exiliunt, ſingulos*

 *complectẽtes,*

cõplectẽtes, & deinde abducunt. Quó nam abducunt? Aliæ, inquit, ad uitã ſalutiferam, aliæ ad calamitoſum interitum, idque per fraudem & fallaciam. O uir admirande, quàm acerbam & periculoſam potionẽ nobis narras. Atqui omnes tamen ad ea quæ præſtantiſſima ſunt, ſe ducturas eos eſſe pollicentur, & ad uitã beatam & conducibilem. Illi uerò ignorantia & errore ſopiti, quem è fallaciæ poculo hauſerunt, inueſtigare & cõſequi non poſſunt ueram & rectam uiam in hac uita, ſed temerè oberrant, quẽadmodum uides & eos qui primum introiuerũt, huc & illuc circunferri, quocunque illæ cõmonſtrarunt. Conſpicio hoc, inquam. Sed quænam illa eſt mulier, quæ ueluti cæca, & furore cõcitata eſſe apparet, & in lapide inſiſtit rotũdo? Vocatur, inquit, Fortuna, quæ non ſolùm luminibus eſt orba, ſed & furioſa & ſurda eſt. Quid hæc tandẽ operis exercet? Hæc quaqueuerſum obambulat, & alios præſentibus opibus ſpoliat, & aliis elargitur eaſdẽ: mox ab iiſdem quæ contulit rurſus aufert, & aliis ſine delectu magna inſtabilitate donat. Ob id & hæc figura apprimè eius naturam exprimit. Qualíſnam hæc eſt, inquam? quia rotundo inſiſtit lapidi. Tum quid hoc ſignificat? Quòd minimè ſit tuta, nulláque firmitate nitatur ab ipſa profecta donatio, ſed calamitates magnæ & acerbæ cõſequantur, cùm quis illi nimiũ confidat. Et turba hæc ingẽs, quæ eam circunſiſtit, quid uult, & qui uocantur? Vocãtur hi temerarij, quorum quiſque ea appetit, quæ ipſa abiicit. Quamobrem igitur omnes ſimilem uultus & oris habitum non referunt, ſed eorum alij lætitia geſtiũt, alij dolore cruciantur, manus interim extendentes? Qui gaudere & ridere apparent, fortunæ munificentia ſunt ditati, hi & bonam

*ipſam fortunã appellant. Qui uerò multo fletu & gemitu manus extendere uidentur, his omnia eripuit, quæ antea munificè contulerat: & ob id fortunam ipſam rurſus malam nominãt. Quænã igitur ſunt munera, quæ Fortuna largitur, ut qui iiſdem donati fuerint, gaudio exiliãt, quíque eorum iacturam fecerint, lamententur? Hæc ſunt, inquit, quæ complures homines bona eſſe exiſtimant. Qualia igitur ſunt ea? Diuitiæ uidelicet, gloria, generis claritudo, liberi, tyrannides, regna, & cætera his conſimilia. Hæc autem nunquid bona eſſe cẽſentur? De his iterũ diſſeremus, in præſentia uerò ſuſceptã fabulæ narrationem perſequamur. Sit ita. Vides igitur hanc portã prætergreſſus, alium ambitum ſuperiorem, & extra eum mulieres ſtantes meretricio cultu exornatas? Maximè quidem. Hæ igitur uocantur Incontinentia & Luxuria, Auaritia & Aſſentatio. Sed qua de cauſa hoc loco conſiſtunt? Captant, inquit, eos qui aliquid à fortuna acceperunt. Quid tum poſtea? Exiliunt ad eos, & brachiis oſculóque excipiunt, aſſentantur, multíſque precibus eos ſolicitant apud ſe manere: aſſerentes, uita eos fruituros ſuaui, omnis laboris, doloris & moleſtiæ experte. Et ſi quis harum blandimentis perſuaſus & illectus, ad uoluptuariam uitam ſe confert: hæc tantiſper ſuauis eſſe apparet, dum hominem uoluptate titillat, poſteà non item. Cùm uerò ſe paululũ ab errore collegerit, tum ſentit quòd ipſe nihil commodi à uoluptate ceperit, ſed ab ea ſit depaſtus, & indignus modis affectus: ob id cùm omnia prodegerit quæ à fortuna adeptus fuerat, harum mulierum ſeruitio mãcipatus eſſe cogitur, & omnia incõmoda ſubire, indecorè ſe gerere, eáque admittere harum cauſa, quæcũque ſunt noxia: ueluti, aliena ſurripere,*

*ripere, ſacrilegium cõmittere, peierare, prodere, & prædari, & omnia his cõſimilia. Cùm uerò omnia eis adẽpta fuerint, ſupplicio deduntur. Qualénam hoc eſt? Vidéſne à tergo ipſarum, inquit, quoddã ceu oſtiolum paruũ, & locum anguſtum, & tenebricoſum in quo mulieres deformi habitu, & ſordidæ, pannı́ſque obſitæ diuerſari apparent? Maximè quidẽ. Ex his quæ flagellum manu tenet, Vltio uocatur: cuius caput intra genua dependet, Aegritudo: quæ uerò ſibi ipſi capillos euellit, Mœſtitia dicitur. His aſsiſtit alius ille fœdo aſpectu & macilẽto corpore, omnibúſque fortunis exutus: prætereà & alia quædã ipſi deformitate & macie nõ diſsimilis, quiſnã eſt? Illi nomẽ eſt Luctus, & ſoror eius Animi anguſtia appellatur. His itaque traditur & uitã cum his agens excarnificatur. Deinde rurſus hinc in aliud domicilium detruditur, ad ipſam infelicitatẽ: & ibi quod uitæ eſt reliquũ, in omni calamitate traducit, niſi Pœnitẽtia illi à Fortuna obuiã prodierit. Deinde quid fit? Si Pœnitentia illi obuia fuerit, eximit eum ex omnibus miſeriis, & alteram opinionẽ & deſiderium illi conciliat, eúmque deducit ad uerã & falſam diſciplinã. Quid deinde fit? Si, inquit eã opinionẽ aſſumpſerit, quæ cũ ad uerã diſciplinã eſt deductura, ab ipſa expiatus ſeruatur, & in omni uita beatitudine & felicitate fruitur. Sin aliter euenerit, rurſus à falſa diſciplina in errorẽ impellitur. Dij boni, quàm ingẽs aliud periculũ hoc, uerùm falſa diſciplina quænã eſt? Vidéſne alterũ ambitum illũ? Et ualde quidem, inquã. Extra ambitũ igitur apud ingreſſum, mulier quædã conſiſtit, quæ cultus uenuſtate, puritatis de ſe ſpecimen præbet. Hoc ita ſe habet. Hanc igitur cõplures & temerarij homines Diſciplinã appellant, cùm nõ ſit uera, ſed*

*falſa*

*falſa diſciplina, inquit. Et qui in ſalutis ſpe poſiti, cùm ad ueram diſciplinã iter cõferre uolunt, ad hãc primùm ſe applicant. Nũquid alius aditus patet ad ueram diſciplinam? Vtique, inquit. Qualeſnã ſunt hi homines qui intra ambitum de uia declinant? Hi ſunt falſæ diſciplinæ amatores, decepti ueræ diſciplinæ ſpecie, cũ qua ſe cõſuetudinem habere putabant. Qui igitur hi uocantur? Alij, inquit Poëtæ, alij Rhetores, alij Dialectici, alij Muſici, alij Arithmetici, alij Geometræ, alij Aſtrologi, alij Voluptuarij, alij Peripatetici, alij Critici, & quicunque his ſunt ſimiles. Mulieres uerò illæ, quæ circumcurſare apparent, & prioribus non ſunt abſimiles, inter quas intemperantiam eſſe dixiſti, & aliæ quæ cum iis erant, qualéſnam ſunt? Illæ ipſæ ſunt, inquit. Vtrum igitur & huc ingrediuntur? Per Iouẽ, inquit, introeunt, ſed rarius tamen & non quemadmodum in primo ambitu. Sed & Opiniones nónne & ipſæ huc iter dirigunt? Certè, inquit. Nam hi adhuc imbuti ſunt ea potione, quam è Fallaciæ poculo hauſerunt, & ignorantia cum imprudentia in eis pertinaciter hæret. Neque prius hos deſeruerit uel opinio hæc, uel reliqua uitioſitas, niſi ementita diſciplina agnita, ad ueram ſe recipiant, & potarint uim erroris expiatricẽ, & omnia inſita uitia eiecerint, opiniones dico & ignorantiam, & quicquid uitioſitatis eſt reliquum: & tum hoc modo emundati, ſalutem conſequuntur. Si uerò hîc falſæ diſciplinæ adhæreſcant, nequaquam eorum animi erroribus liberabuntur, neque ullum malũ eos deſeret harum diſciplinarũ ergo. Quænã hæc eſt uia quæ ad ueram fert diſciplinam? Vidéſne ſurſum locum illum, quem nemo incolit, ſed deſerta ſolitudo eſſe apparet? Video: igitur & ianuam quandã paruam, ante quam*

*uia eſt,quæ nõ crebrò frequẽtatur,& quã pauci admodũ ingrediuntur,quòd aſcenſu difficilis, aſpera & petroſa eſſe appareat.* Etiã uideo,inquit. *Collis præterea altus quidam eſſe uidetur,cuius aſcẽſus eſt arctiſsimus, præcipitia hincinde habens profunda.* Video. *Hæc igitur eſt uia,inquit, quæ ad uerã diſciplinã ducit, quæ admodũ difficilis & laborioſa intuẽtibus apparet.* Vides *igitur & magnã petram circũ collẽ ſublimẽ quidẽ, & omni ex parte præruptã?* Video,inquam. Conſpicis *ob id & mulieres duas ſupra petram cõſtitutas,forma egregia corporéque ſolido, & ſucci pleno, & manus prõpto animo extendentes?* uideo. *Sed quo nomine uocantur,inquã?* Hæc Continentia, *illa* Conſtantia *uocatur. Quid enim manus tam beneuolè extẽderunt?* Hortantur *enim ad hunc locum accedẽtes, bono & infracto,miniméque ignauo eſſe animo: fore quippe, inquiunt, ut eos paululum adhuc tolerare has ærũnas oporteat, deinde in pulchrã uiã peruẽturos.* Sed *ad petrã ubi peruenerint,quo pacto aſcendunt? nullam enim uiam eò ferentem uideo.* Hæ *à præcipitio ad eos deſcendũt,& ad ſe ſurſum pertrahunt: deinde eos de uia feſſos recreari & quietẽ capere iubent: & paulò poſt fortitudinẽ & audaciam contribuunt: dántque fidẽ, ſe eos ad uerã diſciplinã traducturas eſſe, & uiam illis cõmonſtrant, quàm ſit elegãs, plana, & peruia, nulliſque malis obnoxia.* Res *ita ſeſe habere apparet.* Vides *ob id & locum illum, qui pulcher eſſe, & uernantis prati ſpeciem habere apparet, multóque fulgore collucens, & illuſtratus?* Equidẽ *uideo.* Proinde *animaduertis & in medio prati ambitum alium; & portã aliam?* Sic *res habet.* Sed *quónã pacto hic locus uocatur?* Domiciliũ *beatorũ,inquit,quo loco uirtutes omnes*

nes cum felicitate uerſantur: hunc locum perquàm elegantem eſſe omnino cõcedo. Mulierem igitur, inquit, ad portam uides, forma honeſta, uultu ad modeſtiã cõpoſito: ætate uerò integra, & iudicio firmata, quæ ſtolam habet, & reliquum ornatum ſimplicem, & non in rotundo lapide, ſed quadrato conſiſtit, qui ſolo firmiter hæret Huic adſunt aliæ duæ, quæ ſorores eſſe apparẽt. Res ita ſe habere indicat. Harum una quæ medium locũ occupat, Diſciplina eſt: altera, Veritas: tertia, perſuadendi Dea. Sed hoc quid ſibi uult, quòd in lapide quadrato inſiſtit? Id, inquit, indicio eſt cõmunitam his eſſe uiam qui ad eam ſe conferunt, & munus eius eſſe tutũ & ſtabile accipiẽtibus. Qualianam ſunt quæ ab ea dono dantur? Confidentia, & animus intrepidus. Sed hæc quænam ſunt? Scientia, inquit, nihil unquã ægrè uel moleſtè pati in hac uita. Dij boni perpulchra hæc, inquã, ſunt dona. Quã ob cauſam extra ambitum conſiſtit hoc modo? ut aggreſſos, inquit, curet & ad purgatoriam uim potandã inducat, qua cùm mundati fuerint, eos ad uirtutes traducit. Hoc quônam pacto fiat, intellectu aſſequi nõ queo. At intelliges, inquit. Quemadmodũ ſi quis grauiter laborat, ad medicũ planè accedit, & primũ purgationibus morbi cauſas depellit: deĩde hoc modo illi medicus lãguidas uires reficit, ut ad confirmatã ſanitatẽ reſtituat. Si uerò medici præſcriptis non paruerit, meritò ab eo repudiatus, morbo periit. Hæc intelligo, inquã. Eodem modo fit, quotiens ad Diſciplinã quis iter accelerat, cuius erroribus hæc medetur, & imbuit eum ſua uirtute, ut primùm expurget & eiiciat omnia, quibus huc accedẽs, imbutus erat. Quænam hæc? Ignorantiã & errorem, quem è Fallaciæ poculo hauſerat, & arrogãntiam, concupiſcen

tiam,

*tiam incontinẽtiam, animi perturbationem, auaritiã, & reliqua oĩa quibus in primo ſcatebat ambitu. Cùm igitur expurgatus fuerit, quo eum ablegat? Intrò, inquit, ad ipſam Scientiam, & ad alias uirtutes. Qualeſnam has? Non uides intra portã mulierũ cœtum decora ſpecie, moribus cõpoſitis? non ſplẽdido & molli ſed ſimplici cultu utentes: inſuper tanquam incomptas, minimeque gloria elatas ut aliæ erant? Video. Sed quænã hæ uocantur? Prima, inquit, Scientia: Cæteræ uerò huius germanæ ſunt: ueluti Fortitudo, & Iuſtitia, Probitas, Tẽperantia, Modeſtia, Liberalitas, Continẽtia, Manſuetudo. O pulcherrimas, dixi, quàm magna in ſpe poſiti ſumus. Si intellexeritis, inquit, et in animis ueſtris repoſueritis quæ auribus percipitis. Atqui animũ aduortemus quàm poterimus maximè, inquam. Salui igitur, inquit, eritis. Cũ uerò hæ ipſum exceperint, quónam abducũt? ad matrẽ, inquit. Hæc quænã eſt? Felicitas. Cuiuſmodi autem hæc eſt? Vidéſne uiam illã ad ſublimem uerticem ferẽtem, qui omnium ambituum arx eſt? Video. Mulierem inſuper in ueſtibulo conſtitutã, forma honeſta, præ alto ſolio inſidentem, cultu liberali, non exquiſito ornatam, & corona gratis floribus concinnata redimitã uides? Ita prorſus apparet. Hæc igitur, inquit, Felicitas eſt. Cùm huc ad eã quiſpiã acceſſerit, quid agit? Illũ coronat Felicitas ſua potentia: & aliæ uirtutes omnes, perinde ac maximorum certaminũ uictores? Sed quænam certamina ille uicit, inquam? Maxima certamina & mõſtra deuicit, quæ prius illũ conſumebãt, & indignis modis cruciabant, & in ſeruitutẽ aſſerebãt. Hæc omnia ſubegit & miſſa fecit, et ſeipſum adeò in libertatẽ uindicauit, ut illa in præſentia ei ſeruiant quorum ſeruitio hic paulo antè mancipatus e-*

*tus erat. Qualiãnam monſtra narras? Valde enim audire deſidero. Primùm, inquit, Ignorãtiam, & Errorem: an nõ hæc tibi monſtra eſſe apparent? Et improba quidem, dixi. Deinde ægritudinem, luctum, auaritiam, & incõtinentiam, & omnem reliquam uitioſitatem, omnibus his imperat, & non paret, ut priùs aſſolet. O præclara, inquam facinora & pulcherrimam uictoriam. Sed illud mihi inſuper referas, uelim, qua uirtute hæc corona polleat, qua ipſum redimitum eſſe dicis? Beata uita adoleſcens & hac potentia quicunque eſt coronatus, felix & beatus euadit: & non in aliis, ſed in ſeipſo, omnem felicitatis ſpem repoſitam habet. Præclarã certè uictoriã narras. Cæterùm coronatus quid rerum agit & quò iter inſtituit? Eum aſſumentes uirtutes, ad locũ illũ deducũt, unde priùs uenerat, eíque cõmonſtrant quàm flagitioſè & miſerè, qui ibi uerſantur, uitã traducant: & ueluti naufragium in hac uita faciãt, erroribúſque implicentur, & nõ ſecus quàm ui hoſtium debellati, captiui ducũtur: alij ab Incõtinentia, alij ab Arrogantia, ab Auaritia alij, nonnulli à uana gloria: cæteri ab aliis malis quibus cum ſint conſtricti, his ſeſe expedire non queunt, ut ſalutem conſequantur, & ad felicitatis faſtigium perueniãt, ſed per omnem uitã tumultuantur. Et hæc mala ob id patiuntur, quod uiã huc ferentem inueſtigare non queãt, & obliuioni dederint Genij præceptũ. Rectè tu quidẽ mihi dicere uideris: Sed de hoc rurſus in dubio eſt animus qua de cauſa ei locum illum uirtutes cõmonſtrant, unde priùs huc acceſſerat? Nondum enim exactam notionem & intelligentiã earum rerum quæ ibi gererentur, habebat: ſed dubio animo huc illuc impulſus, per ignorationẽ & errorem, quem è fallaciæ poculo hau-*

*ſerat: quæ bona non erãt, bona eſſe: & quæ mala non erant, mala eſſe ſibi falſò perſuadebat: quapropter cum cæteris ibi degentibus in turpi uita cõmorabatur. Iam uerò rerũ cõducibilium cognitionẽ adeptus, ipſe honeſtè uiuit, & alios uitã uitioſam exigẽtes contẽplatur. Omnia poſtquàm abundè oculis colluſtrarit, quid rerum agit, aut quò tendit? Quocũque illi coll b tum fuerit, inquit: nã ubicunque gentiũ erit, ſemper illi præſens adeſt ſecuritas. perinde ac ei qui Corycium antrũ incolit. Et quocunque locorũ ille peruenerit, ibi otioſo animo bene uiuẽdi rationes com plectetur, & omnes eum benigno uultu excipiẽt: quemadmodum medicum hi, qui infirma ualetudine laborant. An non ab eis mulieribus adhuc metuit, quas mõſtra eſſe dixiſti, ne quid detrimẽti ab eis patiatur? Nullo modo amplius mens & animus eius perturbatur, nec à dolore, ægritudine, incõtinẽtia, auaritia, egeſtate, neq; ab alio quouis malo. Omnibus enim dominatur, à quibus antea ſummis preſſus fuit doloribus, ueluti qui à uipera icti ſunt. Nã cũ uenenatæ feræ cæteris omnibus mortiferũ uirus aſpergunt, morſos à uipera nõ lædunt ob id quod habeant ueneni antidotũ. pari modo & huic nullam prorſus exhibent moleſtiã hæc monſtra, quia præſentis remedij præſidio eſt ſeptus. Rectè de his rebus mihi diſſerere uideris. Sed hoc mihi inſuper explices uelim, qualeſnam hi ſunt, qui illinc à colle deſcẽdere apparẽt, quorũ alij corona donati ſunt, & lætitiæ ſignificationẽ faciunt: alij non redimiti, animos afflicta ſalute deſpõdent, & tibias cum capitibus cõtundere apparent, & à mulieribus quibuſdã detinentur? Coronã geſtantes ad Diſciplinã incolumes euaſerũt, & lætitia geſtiunt, quòd hanc ſint conſecuti. Qui uerò nõ ſunt coronati, hi*

*ti, hi deſperata ſalute, à Diſciplina iter reflectũt, malè & miſerè affecti, formidinéque perculſi, ad Conſtantiã contendunt: inde rurſus abſcedũt, & deuiis itineribus uagantur. Cæterùm mulieres à tergo cõſequentes, quænã ſunt? Aegritudines, dolores, animi afflictiones, ignominiæ, & ignorãtiæ. Omnia igitur mala dicis ſequi eos. Per Iouem, inquit, omnia cõſequuntur. Cùm uerò hi in primũ ambitũ ad Voluptatẽ & Incõtinentiã redierint, nõ ſeipſos incuſant, ſed ſtatim Diſciplinæ & ſectatoribus eius conuitium dicũt, quòd calamitoſi, miſeri, & infelices ſint, qui aliorũ deſerto contubernio, malè uiuãt, & uitæ cõmoditatibus, quæ apud eos ſunt, nõ perfruãtur. Quænã bona eſſe prædicant? Luxuriã & Incontinentiã, & (ut ſummatim omnia dicã) uoluptatibus pecuino more affluere, id maximorum bonorũ fruitionem eſſe exiſtimant. Et aliæ mulieres, quæ illinc reuertuntur, hilari atque læto uultu, quænã uocantur? Opiniones, inquit. Hæ in ambitũ ingreſſos, ad Diſciplinã deducũt, & ad uirtutes iter reflectũt; ut alios adducant & nuncient iam felices euaſiſſe, quos dudum adduxerãt. Intromittuntúrne, inquam, Opiniones ad ipſas uirtutes? Minimè, inquit, gentiũ, fas eſt Opinionẽ ad Scientiam ingredi: ſed adductos Diſciplinæ tradunt, quos cùm exceperint, pedem ilico referunt, alios rurſus adductura nõ ſecùs atque naues mercibus exoneratæ, renauigant, ut aliis oneribus impleãtur. Hoc certè pulchrè admodũ nobis enucleare uideris. Verùm illud nobis nondum explicuiſti,*

*manu, cõtuemini, inquit, mulierẽ illam, quæ luminibus eſſe orba, & rotundo inſiſtere lapidi apparet, quã iamdudum Fortunã uocari uobis dicebã? Videmus. Huic nõ confidere iubet, & ſtabile firmúmque nil credere, & nulla firmitate & cõſtãtia niti, quæcũque ab ea accepta fuerint: neque ea ob id ut propria ac peculiaria reputare: nil enim uetat quò minus eadẽ illi auferat, & alteri donet: ídque iteratis uicibus facere cõſueuit. Eam igitur ob cauſam iubet huius muneribus ditatos, ſubmiſſiùs ſe gerere, miniméque lætitia efferri: his uerò ſpoliatos, animo nõ conſternari, & eandẽ neque culpare, neq; laudibus extollere: quandoquidẽ nullo rationis impulſu, ſed temerè, & ut fortè incidit, omnia agit, quẽadmodũ hæc uobis initio recenſui. Quapropter Genius iubet, ut nemo facta eius admiretur, ne nos aſſimulemur malis trapezitis, qui læta frõte argentũ ab hominibus accipiũt, & propriũ eſſe exiſtimant, id illis repoſcẽtibus, ſtomachantur, & grauia ſe paſſos exiſtimãt, non reminiſcẽtes hac lege depoſitũ ſe accepiſſe, ut depoſitori integrũ eſſet iterũ auferre. Pari modo igitur quemlibet affectũ eſſe iubet Genius ad Fortunæ munera, & in memoria habere, tali ingenio eam eſſe præditam ut quæ dederit tollat, & derepẽte iterũ multò plura accumulet. Rurſus uerò quæ largita fuerat, auferat: nec ea ſolùm, ſed quæ longè antè adfuerãt. His accedit, quòd opes quas illa impertit, capeſſẽdas eſſe iubeat, & hiſce locupletatũ nulla interiecta mora, ſe proripere ad ſtabilẽ & conſtantẽ illã munificẽtiam, multa ſecuritate nitentẽ. Sed hæc quænã eſt, inquã? Hanc adipiſcẽtur à Diſciplina, ſi integri permãſerint illic. Sed quænã hæc eſt? Vera, inquit, ſcientia eòrum quæ ad benè uiuendũ conducunt, & hæc donatio*

*tuta*

*tuta eſt, & firma nulli mutabilitati obnoxia, ad hanc ilico confugere iubentur: & cùm ad eas mulieres peruenerint, quas antea Incontinentiã & Voluptatẽ uocari dicebam, illinc omnes celeri gradu abſcedere iubet, nihílque his fidei tribuendum, uſquedum ad ſimulatã Diſciplinam acceſſerint, ibi eos aliquãdiu cõmorari & ab ea quodcũq; uoluerint. tanquã uiaticum accipere: & illinc deinde ad ueram diſciplinã ilico eos iter pergere iubet. Hæc ſunt quæ Genius præſcribit: quæ præcepta, ſi quis deſeruerit, & iacente aure acceperit, perniciẽ ſibi cõciliat. Eiuſmodi eſt fabula, ô hoſpites, hac tabula expreſſa. & ſi quid præterea nos percontari de ſingulis oporteat, id uobis minimè inuideo, ſed accuratè explicabo. Rectè, inquã, tu dicis. Verùm quid eos capere Genius à falſa diſciplina iubet? Quæ utilia eſſe apparẽt. Hæc quænã ſunt? Literæ, & aliæ altiores diſciplinæ, quæ fræni inſtar (ut inquit Plato) adoleſcentes coercent, ne in peiora ſtudia diſtrahantur. Vtrum neceſſe eſt his artibus eum imbui, qui ad ueram diſciplinã eſt perventurus? Neceſſitas neminẽ urget, ſed ob id ſolũ, quòd utilia ſunt expetũtur: & ad hoc, ut quis melior exiſtat, nihil conferũt. Minimè igitur hæc cõducere ais ad id, ut uiri boni aliqui efficiãtur? Poſſunt omnes & ſine harũ adminiculis, in bonos uiros euadere, & tamen ne hæc quidẽ inutilia ſunt. Quẽadmodũ enim quæ recitãtur, interpretis opera aliquãdo aſſequimur: attamen nõ fuerit inutile etiam nos ipſos, ſi quid percepimus, id accuratiore uoce perſequi. Ita*

*ſint, cum bonorũ & malorũ diſcrimine appareãt eſſe decepti, ut alij, & omnibus uitiis irretiti teneantur: nihil enim uetat aliquẽ literarum eſſe peritum, & diſciplinas omnes tenere, & eundem temulentum, incontinentem & auarum, iniuſtum, proditorem, & poſtremò imprudẽtem eſſe: nam multos profectò eiuſmodi conſpicimus. Quo pacto igitur, inquit, hi prærogatiuam habere poſſunt in bonos uiros euadendi? Nequaquã hac ratione apparet. Sed quid, inquam, in cauſa eſt? Quia in ſecundo ambitu uerſantur, tanquã ueræ diſciplinæ appropinquantes. Et quid hoc eos iuuat, inquã, cùm ſæpenumero uidere liceat, ex ambitu primo aduentãtes ab Incõtinentia, & aliis uitiis in tertium ambitum ad uerã diſciplinam, qui hos Mathematicos præuertunt? Quo igitur modo cæteris præpollere poſſunt? At certè obſtinatiores ſunt, & ingenio ad diſcendũ tardiore. Id quo pacto accidit? Quia in ſecũdo ambitu uerſantes, etſi nil aliud, tamen quæ ſe ſcire ſimulant, eorum ſunt ignari, & quouſque hanc opinionem habuerint, commoueri non poſſunt, ut animum ad ueram diſciplinam appellant. Prætereà & aliúdne uides? Nempe opiniones ex ambitu primo ſimiliter ad eos accedere, quare fit ut hi illis nihilo ſint meliores: & niſi pœnitentia correpti, in animum inducant, non ueram ſed falſam diſciplinam tenere: in hũc modum affecti, haud temerè unquã ad bonã frugẽ peruenerint. Proinde & uos, ô hoſpites, hoc modo facite; & his quæ dicta ſunt immoremini, donec ea in mores & animi habitum ſumpſeritis: ſed etiam hæc ſæpe oportet in animo conſiderare, ídque nunquã intermittere, & in aliis præcipuum ſtudium & operam non ponendã eſſe exiſtimare: quod niſi feceritis, nullũ emolumentum eorum quæ*

*audiuiſtis*

*audiuiſtis percipietis. Faciemus. Cæterũ tu hec nobis expone, quam ob rem ea bona non ſunt, quæ homines à Fortuna acceperunt, ueluti uitam uiuere, ſanum eſſe, diuitiis affluere, hominum ſermone celebrari, liberos habere, uincere, & reliqua his conſimilia, & rurſus his contraria, quare mala non cẽſentur? Admodũ uobis apparet id quod dicitur, fidem & opinionem omnem excedere. Agè experire igitur, inquit, reſpondere quid ſentias, de quibus interrogaris. Id faciam, inquam. Vtrum igitur ſi uitioſe quis uiuat ipſum uiuere illi bonum erit? Minimè id mihi apparet, ſed malum, dixi. Quo igitur pacto uiuere bonũ eſt, ſi huic eſt malum. Turpiter uiuẽtibus, mala: honeſtè uerò, bona uita eſſe apparet: malum igitur & bonum eſſe, uiuere aſſeris? Ego, inquam. Abſit, ut non ueriſimiliter loquaris: nam fieri non poſſe exiſtimo, eadẽ ut res bona ſit, & mala: eadem enim ratione, & utilis eſſet & noxia, & ſimul expetẽda & fugienda, quod eſſet ineptum & abſurdũ. Verùm quò pacto ſi turpiter uiuere ei cui adſit, malũ conciliet, uitioſa ipſa eſt uita? Sed non idem eſt, inquit, uiuere & male uiuere, tibíne idẽ apparet? profectò ne mihi quidem idem eſſe uidetur. Ipſa igitur uita mala nõ eſt: nam ſi mala eſſet, honeſtè uiuẽtibus malũ adeſſet: ob id quòd uitam uiuerent quæ mala eſſet. Vera mihi dicere uideris. Quoniã igitur utriſque & benè & malè uiuẽtibus uita contingit, neque bonum neque malum ob id uiuere eſſe, demonſtratur: quemadmodum neque ſectiones, neque u-*

*mala, ſi ſæpenumerò magis ſit expetenda, quàm uita. Hæc ita ſe habent. Quamobrem eadem eſt ratio in bona & in affecta ualetudine, ut ſæpius nō tam commoda ſit ſanitas, quàm ualetudo infirma, cùm incidens caſus ita poſtulet. Vera dicis. Agè uerò eodem modo & de diuitiis conſideremus. Siquidem uidere licet ſæpiſsimè aliquem, qui diuitiis circunfluat, & turpiter tamen & miſerè uitam exigat. Per Iouem multos cernimus. Neque his igitur diuitiæ ſubſidio ſunt, ad uitam probè inſtituendam. Nō apparet: nam ipſi ſunt improbi. Quapropter ut quidam honeſti & probi exiſtant, non tam opulentia, quàm accurata diſciplina efficit. Veriſimile narras. Hac igitur ratione ubinā gentium bonæ ſunt diuitiæ, ſi ſuis poſſeſſoribus non opitulentur, ut meliores euadāt? Ita prorſus apparet. Quibuſdam ob id nihil profuerit ampliſsimas fortunas habere, cùm illis uti nō norint. Ita mihi uidetur. Quónam modo id quiſpiam bonū eſſe cenſuerit, quod plerunque nō adeſſe ſatius eſt. Nequaquam. si quis igitur rectè & prudenter diuitiis uti norit, probè uitā traducet: ſin aliter, malè & infeliciter. Veriſsimè hoc dicere uideris. Et, ut ſummatim dicam, hæc colere tanquam bona, & deſpicere ut mala: hoc humanas rationes conturbat ac lædit quòd in honore ea habeant, & in eis ſolis poſitā eſſe felicitatem exiſtiment, & omnia conſequenter agant horum cauſa, etiam ſi impiiſsima eſſe appareant. Hæc uerò patiuntur propter ueri boni ignorationem.*

CEBETIS TABVLAE FINIS.

# AVREA CARMINA PYTHAGORAE.

*Immortales primùm deos, lege, vt diſpoſiti ſunt,*
*Cole, & uenerare iuſiurandum: deinde heroes illuſtres.*
*Et terrenos uenerare dæmones, legitimè ſacrificans.*
*Et parentes honora, & proximè cognatos.*
*Sed ex aliis virtute fac amicum, qui optimus ſit.*
*Benignus autem pare ſermonibus, operibúſque vtilibus.*
*Neque odio habe amicum tuum peccati cauſa parui*
*Quoad poßis. Poſſe enim prope neceßitatem habitat.*
*Hæc quidem ſic ſcito. ſed dominari aſſueſce hiſce,*
*Ventri primùm, & ſomno, luxuriæq́;,*
*Et iræ, facies autem rem turpem nunquam, neque cum alio*
*Neque ſeparatim: omnium autem maximè, pudeat te tuiipſius,*
*Tum iuſtitiam exerce, operéque, verboq́;.*
*Neque ſtulte teipſum habere in re vlla aſſueſce.*
*Sed ſcito moriendum eſſe fato omnibus.*
*Pecunias autem aliquando poßidere ama, aliquando perdere.*
*Quotq́; diuinis fortunis mortales dolores habent,*
*Horũ quãcunque partẽ habeas æquo animo fer, neque ægrè feras.*
*Curare autem decet quoad poßis: ſic autem conſidera,*
*Non ualde bonis iſtorum multum fortuna præbet.*
*Multi autem hominibus, ſermones, malíque & boni*
*Accidunt, quibus neque obſtupeſce, neque ſanè permittas*
*Implicari teipſum: mendacium autem ſi quod dicatur,*
*Aequo animo feras. quod autem tibi dicam omni in re perficiatur:*
*Nullus neque verbo te decipiat, neque re.*
*Fac, neque dic, quod tibi non melius eſt.*
*Conſule autem ante opus, ne ſtulta ſint.*
*Timidi facereque, dicereque ſtulta, proprium viri,*
*Sed ea perfice, quæ te non poſtea dolore afficiant.*
*Fac nihil eorum, quæ non ſcis, ſed docere*
*Quæcunque neceſſe eſt, & delectabilißimam vitam ſic perages.*

*Ne expende præter tempus,tanquam bonorum neſcius.*
*Neque illiberalis ſis:menſura omnibus in rebus optima.*
*Fac autem ea quæ te non lædant:conſidera autem ante opus.*
*Neque ſomnum mollibus in oculis ſuſcipe*
*Ante,quàm diurnorum operum ter vnumquodque percurras.*
*Quo tráſgreſſus ſum? quid feci? quod mihi decés non perfectũ eſt?*
*Incipiens à primo,percurre & quæ poſteà.*
*Mala quidem operatus,dole:bona uerò,lætare.*
*Hæc labora,hæc meditare,hæc oportet cupere te.*
*Hæc te diuinæ virtutis ad ueſtigia ponent.*
*Næ per noſtræ animæ dantem quaternionem,*
*Fontem perennis naturæ.Sed vade ad opus,*
*Deos precatus:vt peficiant,his autem impetratis,*
*Cognoſces immortaliúmque deorum,mortaliúmque hominum*
*Conſiſtentiam,vt ſingula prætereunt,vtq́; tenentur.*
*Cognoſces autem quatenus ſas eſt, naturam in omnibus ſimilem,*
*Vt neque inſperanda ſperes,neque te quid lateat.*
*Cognoſces autem homines ſpontanea detrimenta habenteis.*
*Miſeri qui bona propè cùm ſint,non vident,*
*Neque audiunt.Solutionem autem malorum pauci norunt.*
*Talis fortuna mortalium lædit menteis.Hi ſed cylindris.*
*Ex aliis in alia feruntur,infinita nocumenta habentes.*
*Moleſta enim comes lis nocens latet,*
*Inſita:quam non oportet te adducere,ſed cedendo fugere.*
*Iupiter pater vel à multis malis liberes omneis,*
*Vel omnibus oſtendas.quánam ſorte vtantur.*
*Sed tu confide,quoniam diuinum genus eſt mortalibus:*
*Quibus ſacra afferens,natura oſtendit ſingula.*
*Quorum ſi quid tibi curæ eſt, vinces quæ te iubeo*
*Medicando:animam autem laboribus iſtis liberabis.*
*Sed abſtine ciborum,quos diximus, inque purgationibus,*
*Inq; liberatione animi diiudica,& conſidera ſingula.*
*Aurigam iudicium conſtituens deſuper optimum:*
*Cùm autem relicto corpore,ad æthera liberum ieris.*
*Eris immortalis deus,incorruptibilis, non amplius mortalis.*

FINIS AVREORVM CARMINVM
*Pythagoræ.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE